




# Iehova vindex, siue de rebus Gallicis: narratio prima

<https://hdl.handle.net/1874/428516>



# **Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**

## **Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- **de rug van het boek**
  - **de kopsnede**
  - **de frontsnede**
  - **de staartsnede**
  - **het achterplat**

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

# Rarietà

1000-10000


S. Oct.

1456











Historia Gentium


Octavo n°. 1456.


Rariora


S. oct.  
1456




















I E H O V A V INDEX,  
sive  
DE REBV S GAL-  
LICIS:  
NARRATIO PRIMA.

Iacobo Franco differente.



Psal. CXVIII.

A DOMINO factum est istud: & est  
mirabile in Oculis nostris.

Vox Iubili & salutis in tabernaculis Iustorum:  
Dextera DOMINI res praeclaras egit;  
Dextera DOMINI superior fuit:  
Dextera DOMINI res praeclaras egit.

B R E M A,

In Typographia Bernhardi Petri,  
ANNO M.D.XC.



卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

IEHOVA VINDEX SIVE  
DE REBUS GALLI-  
CIS NARRATIO  
PRIMA.

**G**ALLIA hodie omnis duas in partes scissa est. Una, eorum qui Gallia in leges, quibus Francorum Re- gnum constitutum, supra Christiana Regna omnia, adoleuit olim atq; floruit, sacrosanctas esse volunt. Altera eorum, qui res nouas queritant, hominum egentium & facinorosorum: quorundam etiam cæca superstitione furentium. Illis Rex caput: Caput iustum & legitimum: His familia Guisum; insertum caput, & monstrosum, dignum suo corpore.

Sed illi qui Regis legumq; auctoritatem in violatam volunt, in duas & ipsi partes diuisi sunt: Eorum, qui Deo magis obediendum, quam hominibus censem: à D<sup>e</sup>o, & saluo Hugonos<sup>ti.</sup> Dei iure, Regi præstanda officia seruitiaque omnia. Horum caput & 'Dux Henricus Rex Nauarræ; primus Regij Francorum sanguinis Princeps: & hodie Regni successioni proximus. Hugonotos hos vocant. Alij à Rege legitimo, toti pendent, quicunq; tandem ille sit, futurus ve sit. Politici hi, & Regij vocantur. Guisiani, à coniuratione olim ad Euangelij veritatē, id est, Christum orbe Christiano tollendum inita, Politici! Coniurati dicuntur. Cōiuratis

Sed de Guisianis , rem vt altius latiusq; re-  
petam , res ipsa postulat : & video obscuriorem  
elle his locis eorum originem : & ingerium eo-  
rum plerosq; aut ignorare , aut dissimulare .

**Guisiorū.** Guisia familia , Francisco primo imperante ,  
ort⁹ & in- primum è Lotharingia , in Gallum pedem in-  
tremen- tulit , egens . Creuit , solita Regum , populi que  
ta. Galici in exteris benignitate , ad opes amplas :  
pi. n. quas deinde , malis artibus & flagitio immen-  
sum auxere . Vastus animus , (quod de Catilina  
proditur ,) immoderata , incredibilia , nimis al-  
ta cupiebat . Regna , prouincias , quibuscum  
fuerunt aliquando affinitate coniuncti , tan-  
quam sibi debita , inflatus vanā atq; improba  
spe animus appetebat . Sic Hierosolymitanum ,  
sic Siculum , sic Neapolitanum , palam titulis  
suis adscribunt . Sic Danicum sibi deberi : in-  
iustē & per vim ab alijs occupari , haud obscu-  
rè fremunt . Sic Gallicum , quod gens Capetia ,  
annos amplius sexcentos , iusto clementiq; im-  
perio tenet , Caroli Magni posteris restituendū , olim etiam libertis editis & confictis gene-  
ris sui descriptionibus , imprudenter contem-  
dunt .

**Fraueſc⁹** Franciscus Guisius , imperante Henrico II.  
**Guisius** expeditionem Italicanam audiē petijt , suscepitq;  
**Cladij.F.** Regnum Neapolitanum palam Regi Henrico ,  
re autem vera sibi petens . Inde nuptias Scotiæ  
Reginæ , quæ erat ei ex sorore neptis , cum Fran-  
cisco Franciæ Delphino conciliauit : vt ea ra-  
tione , & auctoritatem in Regno suam firma-  
ret , & sibi suisue , comparata auctoritate , viam

Cardina  
lis Guis-  
us.

ad Regnum inuadendum faceret. Deus iam  
tum, præcipuos Regij sanguines Principes, Re-  
gni proceres non paucos, è Nobilitate & plebe  
quam plurimos, ad veritatē Euangelicā cogni-  
tionem vocauerat. Cardinalis, Guisij illius fra-  
ter, homo varius & subdolus, cum crescere  
medios per ignes, Euangelicorum numerum  
cerneret, insinuare se aliquando, animis eorū,  
ficta pietate, studuit: Sperans facile per tantam  
multitudinem, moueri aliquid in Gallia posse.  
Sed cum illos à rebus nouis alienos, pietati de-  
ditos, Principibus suis, quorum nonnulli pie-  
tatem haud fictè sequebantur, addictos, cerne-  
ret, aliud sibi capiendum consilium censuit.  
Dignum videbatur posteris Caroli Magni, qui Caroli  
Princeps abominationem in templum DEI in M. post  
duxisset, abominationem eandem tueri: Eius ti-  
prætextu, Principum Regij sanguinis, non au-  
toritatem modo labefactari, sed vitam etiam,  
in periculum vocari posse: Regnum proceribus  
& Nobilitate & ciuibus bonis dispoliari: Re-  
gis Augustam Maiestatem infringi; & illum  
obedientiæ zelum, quo fuit hactenus plebs no-  
bilitasq; Gallica, illustris, extingui. Ita Regni Civiliū  
veluti vacuam & destitutam possessionem inua-  
di. Hoc animo excitata in Gallia ciuilia bella, causa  
& Principes sanguinis aliquot, & è Nobilitate  
proceribusq; plurimos è plebe inumeros vi-  
ros bonos fortisq; hauserunt. Vbi bellicæ ra-  
tiones parùm succedebant, Pacis nomen indu-  
ctum, sub quo cædes horrendæ, crudeliter atq;  
perfidosq; patratæ.

A

Sed

**Henricus** Sed Franciscus, de quo dixi, Guisius, Caro-  
**Guisius** lo nono imperante, apud Aurelianum i<sup>c</sup>t<sup>o</sup>, iacta  
**Frācisci f.** vedit spei suae fundamenta. Successit vanitati  
**Liga.** eius atq; audaciæ, non autem bellicæ virtuti, Henricus filius. Cuius egregia indoles, Magistro Cardinale patruo creuit. Sub hoc Coniunctionis (quam Ligam vocant) iacta dudum semina, in lucem prodierunt. Ea inter Pontificem, Hispanum, Italæ proceres, Lotharingos (in quibus Guisij) Sabaudum, aliosq; Princes magnos, quos hic reticeo, ad veritatis lucem extinguendam, atq; Imperia legitima subuertenda inita primùm est. Hispano debellanda Anglia: Guisio Gallia committitur: Sabaudo Geneua & Heluetij cōmendantur: alijs aliæ, veluti prouinciae, assignatae.

Sed Guisio, Regnum Galliæ, quam Religio magis cordi esse. Deberi hoc familiæ suæ, iam dudum palam prædicabat: facili & annuente Pontifice, qui à Caroli Magni posteris scilicet, dignitatis suæ restitutionem atq; amplificationem speraret. Dicam obiter. Religioni atq; pietati, (vt illa sœcula ferebant) præ ceteris addicta ex animo semper fuit Capetia gens, sed Pontificum dominationi infesta.

Igitur ille impatiens moræ, atq; regnandi incredibili cupiditate ardens, dum se Hispanus in Angliam præparat, erupit Anno 1585.

**Hui<sup>o</sup> po-** Alensonio mortuo, Rex Nauarriæ **fremi** Henricus, successioni Regni proximus & iure ipso & iubelli oc- dij omnium notabatur. Huius insignes ma- calie. turaſq; virtutes Guisius oderat metuebatq;. Ac- cedebat

cedebat Hispanus instigator, qui ne Belgio animum Galli serio adjicerent, valde verebatur : & Nuarrenum , cui Regna aliquot definit iniuste, quām minimum esse cupiebat. Itaq; impli- Hispani care Galliam bello inexplicabili , & eo Nauar- animus. renum obruere cupiebat. Post multa Regna, varijs artibus, iure iniuria, occupata, cætera que rapere ijsdem artibus non potest, ea, ne ad Monarchiam Orbis properantem fortè morentur, turbare atq; ciuilibus dissensionibus euertere, propositum illi. Itaq; Guisium satis suopte ingenio furentem magis magisque accendit : pecunias sumptui pollicetur , numerat.

Iam titulus bello quæritur. Regnum Gallicum palam petere, etiam ipsi, quamvis Caro-  
ri Magni nepoti, videbatur durum nimis. Nec gio-  
tulissent ingenia Gallica. Religionis specie im-  
ponendum erat vulgo. Hic Pontifex operam  
suam cōmodat. In Regem Nauarræ tanquam Rex Na-  
hæreticum, fulmen suum dirasq; contorquet:  
vano ictu, & in auctoris caput reddituro. Tonat  
in templis , & cœlum terræ miscent Conciona-  
tores: Natio hominum inquies , & turbandis  
imperijs nata. Dominatione ipsi sibi quærunt:  
quam , stantibus legitimis Imperijs, obtinere nō  
possunt. Itaq; mouent semper aliquid, miscent-  
que : vt turbidis rebus publicis , res ipsi suas  
sensim promoueant. Horum se animis insinua-  
uerat Guisius : & per hos plebeculæ, muliercu-  
larumq; animos, & supersticioſas mentes sibi in  
omne scelus deuinixerat. Hi Nauarrenum inse-  
ctantur clamore, Guisij pietatem, fortitudinem,

Nauarræ ex-  
commu-  
nicatur à  
Papa.

Concio-  
natores

gaturum, iactitabat. Solus Nauarrenus, pānē triennium, tot hostium tantas vires sustinet. Nullus ei Anglus, nullus Heluetius, null⁹ Germanus in auxilijs: Galli pauci aderant. Sed erat cum ipso D̄eūs: quia & ipse, cum D̄eo. Illi pugnant, oppugnant: nihil expugnant.

Nauarrenus, cui insignis pietas, admirabilem prudentiam & invictū animi robur pepererat, vrbes capit non paucas: hostem profligat, non semel. Ita illi, tantis viribus, nihil agunt: hic, nullis viribus, multa magnaq; peragit. A D̄eo hoc certè: qui, vt semel ex nihilo creauit cuncta: ita & cottidiè ex nihilo admiranda in oculis nostris perficit. Iam quadriennium Nauarrenus, grauissimum onus ceruicibus sustinet, nec succumbit: imò nec fatigatur. Iam quadriennium, bellum impar excipit, nec vincitur: imò vincit. Dicam quod res est. Centies cum hoste ipse congressus est: nunquam vīctus, semper vīctor. Centies cum hoste manum ipse cōfieruit: hostes quam plurimos vulneribus afflīxit, manu cepit, morti dedit: Ipsī adhuc intactum vulneribus corpus. Gaude, Henrice Rex Nauarræ: sub umbra Omnipotentis habitas. Nolim præterire, quod Rex ipse in eo scripto profitetur, quo Mænium, rebellem & lēsæ Majestatis reum, publicè declarat, quodque mihi compertum aliunde satis est: Guisium, atque ipsum adeò Hispanū de fōdere cum Rege Nauarræ tractationem instituere voluisse: conditiones amplas atque magnificas proposuisse:

Omni-

Nauarreni  
Pietas,  
Prudentia,  
Fortitudo  
incompa-  
rabilis.

Omnibusque modis eius amicitiam expetisse.  
Sed illi nulla cum impijs amicitia, nullum fœ-  
dus. non, si mótes dent aureos, & Regna mun-  
di ostentent.

Tandem, post multorum varios labores, Exercitus  
magnis sumptibus, tanquam ingenti machina, Germanic⁹  
ducitur in Galliam è Germania numerosus in Galliam  
exercitus: qui Nuarrenum, Regijs exercitibus anno 1573  
pressum, & diu laborantem liberaret. Hic, dum  
cum hoste Nuarrenus certat, & expedire se  
impeditus conatur: dum ad Coutrasium cum  
Ioleusio pugnat: (vnde memorabilis illa atque  
vnica Euangelicorum, à tot seculis, inter tot  
nationes Euangelicas, victoria) Hic, inquam,  
exercitus miserè dilapsus, ruinā suā, magnum  
malum rebus Gallicis dedit.

Guifio, ne quid apertè in Regem moueret,  
vnus Nuarrenus hac̄tenus obīstat: Vnus tot  
annos Regem, Nuarrenus saluus, seruat. Iam  
desperatas, illo casū, res Nuarrenas Guisius pu-  
tat. Falsus: Non enim Nuarreno in equitibus  
& curribus, sed in D E o, spes: & ex ea, cetta  
salus. Iam & Hispani in Angliam apparatus,  
de quo supra dixi, expeditioni paratus videba-  
tur. Itaq; duplixi fiducia, ingens facinus, nec gem.  
auditum in Gallijs vnquam, aggreditur Guisij  
us. Regē capere, & custodiæ monachali man-  
dare, aut vita priuare, parat: inde sibi Regnum  
afferere. Multa ad hoc illi tota Gallia, iam du-  
dum callidè comparata. Iam armatos Luteti-  
am clām inducit: Plebem, quam Concionato-  
rum opera habebat in manu, ad seditionem fu-  
scitat.

Guisij au-  
dax consi-  
lium in Re

Facinus.

scit. Rex, periculum videt: nec mederi posse  
Guisius Regem test: igitur Lutetia confestim excedit. Guisius  
sem agit. fidem Parisiensium satis expertus: et si elapsum  
sibi Regem dolebat: Regie loqui, scribere:  
magistratus viros bonos & Regi fidos, abrogare:  
re: factiosos supponere: loca urbis munita pre-  
fidiis suis firmare: pecunias Regias pro arbitrio  
tractare: Omnia denique pro Rege agere. Co-  
gitare nihilominus qua ratione Regem com-  
prehenderet. Excusat se apud Regem, sed ita,  
Regi recō- ciliatur.  
Ordines vt, non subditum, cum Rege, sed Regem cum  
indicti. subdito, etiam abiectissimo loqui dices. Res  
tandem componitur. Dies locusq; dicitur, quo  
regni ordines conueniant. Ibi, Regis Ordinumque  
sententia Nuarrenum successionē  
regni indignum iudicatum iri, Guisius non du-  
bitat. Ex eo, futurum in potestate sua Regem  
Regnumque.

Parantur ad conuentum Ordinum, omnia.  
Guisius suos, per prouincias dimittit, qui pre-  
cio, precibus, minis, vel qua alia ratione Gui-  
um, Nobiliumque libertatem corrumperent,  
vt scilicet, homines suarum partium, cum  
mandatis, quae praescribebat ipse, ad conuen-  
tum mitterentur.

Sabaudus.

Dum rebus suis in Gallia Guisius intentus  
est, Sabaudus qui & sibi spolium è iacente Gal-  
lia petit, Salusensem Marchionatum occupat.  
In felix puer. Sed eum castigandum Bernati-  
bus relinquio.

Classis His-  
panica.  
Iob. 4.

Interim, cum classe Hispanica D e v s è cor-  
lo pugnat. Afflatu D e i perierunt, & à vento  
ixæ eius absumpti sunt. Non

Non terretur Classis Hispanicæ infelici suc-  
cessu Guisius. Trahebat eum ad pœnam Devs. Ordinum  
Conueniunt Blæsis Ordines : Ordines Guisij conuentus.  
veneno tincti. Ad Guisij nutum omnia compo-  
nuntur. Iam summæ Regni dignitares , ei fra-  
tribusq; decernuntur. Iam Regni ipsius admi-  
nistratio omnis, & tantum non Regium nomen  
tribuitur. Guisianum tum vocari, aut Coniu-  
ratum, laudi : Regium dici , probro palam ha-  
bebatur. Nescio, an haec Regi suspecta: debue-  
runt certè. Socios Regni pati. Regibus inso-  
lens. Monetur interim vndiq; Rex : caueat si-  
bi : constituisse Guisium manus ei inferre , &  
Luretiā vi rapere Rex ipse publico scripto te-  
statur, Aumalium Guisij patruelem , & Mæni-  
um eiusdem Guisij fratrem ( ij Blæsis aberant )  
certos ad se homines misisse , qui vehementer  
monerant , sibi prospiceret : ni properet, breue  
ei salutis tempus concessum. Monetur & ipse  
Guisius, non esse quod nimium Regi fidat. Ex-  
cudit Guisio vox: vox audax: Non audet, inquit.  
Rarò diurna est serui potentia , quæ ipsi do- Guisij ius  
mino terribilis est. Rex igitur, & audacia Gui- Regis ne-  
sij commotus, & periculo suo territus, vocatum catur.  
ad se XIII. Decembtis, veteris stili , quæ erat  
olim dies Veneris, pugionibus confodi, & Re-  
gni turbatorem , ad Regnum manifestò adspi-  
rantem , in Regis vitam manifestò conspiran-  
tem iussit. Eadem hora capti, Cardinalis frater, Et post eū  
Inuillæus filius, Elbusi<sup>o</sup> patruelis : alijq; factio- Cardinalis,  
nis eiusdem. Cardinalis, postero die , quôd au-  
dacissimi hominis, tanquam feræ bestię diutur-  
nios

Iud. 3.

nior custodia, periculosior esse videbatur, confessus est in illo Regis. Sic pereant omnes inimici tui, Domine: qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

Prov. 16.

Indignatio Regis, inquit sapiens, nuncius mortis: & vir sapiens, placabit eam. Sed Regi de Guisio aliter supplicium sumere, intutum fuit: Ad aulam enim ipsam, Guisiana factio, tanquam gangrena peruerterat. Captiuos, publico supplicio seruandos putauit: ut ordinaria iuris via, & publica eorum confessione, illa extraordinaria in Guisum animaduersio, necessaria fuisse probaretur. Incidunt saepè morbi, in quibus si methodicorum rationem tenet, eadem ratione ægrotum perimas. Ipse sibi eger quandoq; non expectato medico, venam aperit: Et subita nouaq; mala, subita nouaque remedia poscunt. Parmenionem Regnum affectantem, per insidias tollendum è medio Alexander M. curauit. Vulgo ille militum erat acceptus, in potestate habebat exercitum. Animaduertere in eum aperte non poterat, nisi cum aperto rerum suarum periculo. Angliae Rex, ni fallor, Richardus, patruum suum, Clocestrię Ducem, res nouas molientem, & populum cōcitantem, clām, per speciem venationis ex Anglia abductum, strangulari iussit. Ille summo Duci, cuius fideli feliciq; opera v̄sus erat saepissime: Hic, patruo Regioq; sanguini non pepercit. Quid Regem, cūm ipsius vita, Regniq; salus, in præsentissimum periculum vocaretur, parcere Guisio voluisses? Homini, nulla re, pter quam insana dominandi cupidine, insigni.

Curtius.

Trossard.

Guisorum cadauera, Rego mandante, Car-  
nis ex capitibus minuit: inde exussit: cineres in  
ærem Ligerimq; sparsit. Ecce qui in viros for-  
tes, sicarios immittere; qui innocentes capto  
priuare; qui sacros ignes, in pia capita accen-  
dere, qui suspendere, qui mergere Sanctorum  
corpora ridens solebat: Is confosus iacuit: ei  
caput impium iusta carnificis manus abstulit,  
cuius truncū cadauer vltor ignis consumpsit: Ci-  
neres, partim venti tulerunt, partim aquæ hau-  
serunt. Iam Vltorem non imminere impijs De-  
um dico.

Quatriduo post sublatum Guisum, Rex  
Nauaræ Niortum, primarium in Pictonibus Rex Nauaræ Niortum  
oppidum, commodissimo loco situm, rebus ad unum capit.  
bellum victumq; necessarijs instructissimum,  
vno solo è suis desiderato, capit. Eo capto, alia  
non pauca, deditioñem fecere. Ad maiora,  
magno impetu properanti, Deus manum in-  
iecit. Ex continuis grauissimisque laboribus, Eius morbus grauis.  
quos vix quisquam aliis ferat, in grauissimam  
pleuritidem incidit. Ea nobis optimum Re-  
gem; prudentissimum Ducem, fortissimum  
Militem, pænè rapuit. Vidisse tum in eo, quod  
viderunt multi: incredibilem in re bellica con-  
stituenda Prudentiam: (nam in propinquo erat  
hostis, numero militum longè superior) Con-  
stantiam in morbo admirabilem: pietatem &  
fiduciam in Deum, qualēm hēc ætas non fert.  
Desperantibus de eius salute omnibus, ipse, in  
Deum sperabat: cuius singillatim enarrabat,  
decantabat benefacta. Serua hunc nobis porrò,

Deus.

D e s , Principem : quem tūm reddidisti Ec-  
clesiae tuæ , non frustra : Serua , quām diutissi-  
mè . Vide , mi D e s , quō humanae mentis pro-  
trumpat curiositas . Hunc si nobis rapis , quis  
Gregem tuum ducet ? Scio : ex lapidibus , vt fi-  
lios Abrahæ , ita p opulo tuo Duces suscitare  
potens es . Certè , si ex his quos nouimus ; verè  
ex lapidibus . Magnos , fortisq; viros video , si  
solos video : Si ad hunc comparo , Vmbræ sunt .  
Nemo , cuius ceruix sustinendo tanto oneri suf-  
ficiat , quantum hic , inspectante orbe Christia-  
no , sustulit . Sed tibi D e s , gregis tui , eterna  
cura : Ego homo , ad humana descendō .

**Coniurato-**  
**rum furor.** Peruulgata Guisitorum , Ducis & Cardina-  
lis , morte , Coniurati in furorem aguntur . Eo-  
rum erat in plerisq; Galliæ vrribus ingens mul-  
titudo , ad quoduis parata scelus , seu ingenio  
suo , seu inopia , seu metu pœnarum , siue etiam  
superstitione , quæ , vbi cæca hominis mentem  
inuasit , horrendos edit partus . Aurelianenses  
in primis & Parisienses , olim cædium in Eu-  
angelicos antesignani : Picardi etiam nonnulli ,  
apertam defectionem moliuntur . Regios om-  
nes , id est , viros bonos & moderatos , aut tru-  
tidant , aut carceribus mandant . Sed Luteti-  
am Mænius confestim aduolat : Aumalius Pi-  
cardiæ vrbes , quæ à Rege defecerant , Ambia-  
num & Abbatis villam occupat . Aumalij fra-  
ter , quem Equitem Aumalium vocant , Aureli-  
anum , Blælis , nescio qua arte saluus peruenit .  
Hi duces hodiè Coniurationis , & defectionis  
habentur . Mænium , mortuo fratre , spes Regni ,  
quæ

quæ nihil vñquam suader moderati , incitat :  
habebatur antea minus ferox . Aumalium ea-  
dem cupiditas & nonnulla fortassis spes tenet .  
Equiti , sua etiam somnia , calcar addunt . Sed  
hi suos quisq; ad flagitosissimum quodq; faci-  
nus impellere , vt scelerum conscientia & venie  
desperatione fidos habeant . Hinc in Regiam  
Maiestatem Parisiensiu incredibilis furor . Re-  
gias ædes diripiunt : insignia lacerant , concul-  
cantq; : effigies conspuunt , & discerpunt : tan-  
quam animalia fera in ipsa inanima seuiunt .  
Ipse Regius Senatus , Parliamentum vocant,  
ignominiose & inaudito scelere , ab infimæ &  
pudenda fortis hominibus fœdis careeribus in-  
clusus . Regi , ne verbo quidem sua dignitas  
seruatur : publicis etiam scriptis , Henricum  
Valesium vocant , olim Regem . Accedit Con-  
cionatorum , qui iam pñne vbiique , discordia-  
rum & seditionum tubæ sunt , effera rabies . Po-  
pulum satis per se furentem , clamoribus & e-  
iulatu concitant . Guisium , Galliæ liberatorem ,  
Patisiensium seruatorem , Catholicæ Religio-  
nis vindicem vocitant : Regem : Tyrannum ,  
Herodem , perfidum , carnificem , atheum cla-  
mitant . Et huius odio , in Regis Nauarræ veris-  
simas laudes , imprudentes exspariantur : Ma-  
gni , & Regij animi Principem , Religionis suæ  
constantissimum obseruatorem , fama , fideque  
integra , clementiâ in deuictos hostes , etiam ho-  
stibus admirandâ prædicandâq;. Sed Sorboni-  
cum Theologorum Collegium , ex D. Pauli do-  
ctrinâ , populum fide Regi debita liberum &

Sacramento solutum pronunciant: licere populo, contra Regem suum, pecunias colligere, coniurare, arma ferre, pugnare.

Hæc tibi merces, Henrice Rex, ab ijs rependitur, pro quorum otioso ventre, tu olim tot labores suscepisti, toties pugnasti, toties vicisti: pro quorum Tyrannide patrios campos, ciuum tuorum sanguine imbuisti: pro quorum salute, tuam Regniq; tui salutem neglexisti. Etiam Romanum mittis, & benefacti veniam à Papa petis? Non agnoscis consilia illa omnia, quibus pñnc regno vitaq; spoliatus es, Romæ fabricata: è cerebro & diuina mente beatissimi Patris profecta? Malefactorum, à Deo veniam exora. Benefactis, & huic quidem tanto, tam raro in patriam tuam beneficio, sua laus æternum maneat. Cardinalem, tibi Regnoq; imminentem, sustulisti. Bonum factum: & voce scriptisque bonorum omnium celebrandum. Ob hoc tibi Gallia tua omnis, flexis genubus gratias agit: laudesq; cantat. Sed Cardinalem: An non subditum tibi? An nō tuis tuorumq; beneficijs, non suis suorumve meritis magnum? An non in te, Regem suum conspirantem? An non praesentem Regno tuo pestem immittentem? Quę hīc Pontificis notio: Apage mihi istos homines, qui Religionis specie, solutos se legibus humanis, & à Magistratu liberos iudicant. Apage mihi Religionem istam, si modò illa Religio est, quæ societatis humanæ diuinum vinculum soluit. Auctoritas potestasq; tua à D e o, quam nemo homo, nisi magno cum suo malo, vñq; solu-

Soluit : Sed tu , Rex , caue , ne Bonum factum  
purumq; , factis istis commacules : Caue , ne te  
Romano rursus luto immergas : tenax est , &  
vix vñquam ex eo emerges.

Inter tantas has turbas , vt in hominum ma- Mors Re-  
gna turba quis , etiam alias insignis , fortè cla- gina Ma-  
bitur , ita veluti elapsa est Regia mater Catha- tis .  
rina : de qua silere malo , quām pauca dicere . Rex Gö-  
iuratos

Sed postquam videt Rex , Coniurationis re- eorumq;  
liquias etiamnūm caudam mouere : ne forte fautores  
subditis suis exterisue hæreret hac in re scrupu- hostes p-  
lus aliquis : Mænium , Aumalium , eiusque fra- scribit .  
trem Equitem , publico scripto , dignitatibus  
atque honoribus omnibus priuat : Infidos , re-  
belles , & Maiestatis conuictos declarat : Eos eo-  
rumq; posteros , qui qui illi sint , qui aut consilio  
aut opera , aut re aliqua , opē illis ferent , eodem  
loco habet . Ab his illisq; graues se pœnas ex-  
petitum profitetur . Idem in vrbes , Lutetiam ,  
Aurelianū , Ambianū , similesq; alias constituit .

Sed Partium vires , intra extraq; Regnum ,  
quaꝝ quantæq; sunt , breuiter videamus .

Coniurati , vrbes Regni aliquot amplissimas Partium  
tenent : in ijs pessimum quemq; & vilissimum : vires ,  
quo quis honestior , eò ab illorum cōfilijs actio-  
nibusq; alienior . E Nobilitate pœnè nullus in  
partibus est : nisi qui olim Guisæ familiae addi-  
ctus , eandem nunc cum ipsis fortunam experi-  
ri cogitat : aut qui facinoribus coopertus , vel  
alieno ære obrutus , in sanis partibus , partes  
nullas inuenit . Auri argenteique vim , ex con-  
flatis sanctorum , quas vocant , reliquijs , confe-

cerunt, ab opulentioribus, quos utibibus clausos tenent, magnam pecuniam summam exegerunt promiscue. Sed destituta Nobilitate plebs, seditionibus assueta, insueta Bello, turbam potius, turbandis rebus aptam, quam exercitum, hosti profligando commodum, conficiet. Ipsa suopte ingenio varia & mobilis, leui momento, partes mutabit, & duces suos, qua levitate secura est, eadem deseret. Quidam etiam pœnitentia ducti, postquam abierit ille furor, & Regij nominis Reuerentia redierit, Ducum suorum sanguine defectionis maculam conabantur eluere. Illa autem conflata pecunia effluet citè: præsertim, cum in eam quam pluri-mi inuolent: & de ea partem sibi quisq;, tanq; de præda, poscat. Exactiones, si repetantur, plebem commouebunt. Nulla enim inter eos Regis certi, nulla Magistratus legitimi reuerentia. Nullum in vulgo consilium, nulla ratio. Omnes sibi Reges, omnes Duces sunt.

Vrbes  
sanguine  
priorū in-  
fectæ in  
Coniura-  
tis sunt.

Sed hic nota mihi, Christiane, & vide, Vrbes, quæ Anno 1572. tot innocentum Christianorum sanguinem crudelissime fuderunt, eas omnes, quamvis ab inuicem longe dissitas veluti conspiratione quadam, & signo dato, in Regem suum furentes. Quid hic aliud quam iustum Dei iudiciū exspectas? Exspecta, Christiane, & spectabis Namque tu Deus, Ult. onus Deus, iustus populi tui vindex, memor eris, ut se gesserint, illi, cum vastarent Ierusalem tuam. Dederunt cadavera seruorum tuorum cibum volucrib' cœli, & carnem sanctorū tuorum bestijs

Psal. 127.

Psal. 75.

stis terræ. Effuderunt sanguinem eorum circa Ierusalem, tanquam aquam. Beatus, O filia Babylonis, qui reddet tibi ea, quæ intulisti nobis, Beatus, qui apprehendet filios tuos allidetque ad petram.

Externa autem auxilia, quæ habere possint, non video. Oculos in Hispaniam vertunt, Habet Hispan⁹ domi, quæ agat. Parmensis, quantum ego quidem arbitror, res suas in Belgio confirmandas, quam alienas curandas iudicabit. In Italia, Pontifex, ne quo modo Regis animum amplius offendat, cauendum sibi putabit, &c, si quid tentare velit, fulmina contorquebit bruta, & quæ nemo, nisi brutus ipse, curret. Florentinus & Ferrarensis, spectabunt hos tanquam ludos, & mouere quidem in Italia aliquid possunt: extra Italiam, eoru vires haud valde extimescas. Sabaudum continebunt vires Regiae & Heluetiorum, quæ temeritatis eius vindictam petitum properant. Restat illis una Germania, quæ mercenarium fortè militem præbebit. Ita est mos, ipsi Christiani etiam Antichristo, accepta pecunia seruiunt, & animas suas Sathanæ vltro mancipant.

Sed à Rege, stat Galliæ robur, Nobilitas omnis, ipse Dux Ducum, & summus ætatis nostræ Imperator Rex Nauarræ: Prouinciae, exceptis Vrbibus aliquot, omnes. Portus & accessus Regni omnes, quibus prohibere Vrbibus commeatum possit, interim equitatu agros illorum vastare & populari Salinas tener omnes. Ut facile sit Coniuratos ad summam omnium

xerum inoplam adducere. Extra Regnum, patebit eius auro Germania, & erunt ipsi Principes, acceptorum a maioribus eius beneficiorum memores. Scotiæ Rex & Heluetij, sœderi, Regina Anglia, Veneti, alijque amicitiae non decurrunt.

Rex Nauarre: Etsi humanæ ei vires non defunt: Oculos tamen in cœlum tollit. Inde certum auxilium sperat: inde salutem certus exspectat. Nec vñquam speravit, exspectauit frustra. Alta illa vox tua, Henrice Rex Nauarre, & verè Christiano spiritu edita. Si me omnes gentes, etiam solum circumdederint, Spero quod per nomen Domini excisurus sum eas. Merito speras in Domino Deo tuo: merito eius in te beneficia prædicas. Specta Cœlum: Mille ibi legiones Angelorum, quorum unus, totos exercitus, hominum Centum Octoginta quinque millia, vna nocte delet. Et hic qui te circumfundit aer, equis plenus est, curribusq; igneis, auxilio tuo paratis. Illos non est, quod molestis sumptuosisque legationibus ambias: quod magnis stipendijs emas: Fide, tui sunt. Non illi inimicos amicosque pariter vastant: hostes perdunt, suos illæsos seruant. Iam te Deus ille, ille exercituum Deus, infantem inter infestos exercitus seruauit: Adolescentem ille te periculis innumeris liberavit: Virum ille te, in Guisiana cæde seruavit, de ciuitate sanguinum eduxit, in domum suam deduxit. Ille venena, ille enses, quibus centies petitus es, abs te auerrit. Ille te medios inter hostes, protexit,

pro

Pro te pugnauit : pro te vicit. Ille naper proie-  
cit ad pedes tuos hostem tuum. Qui arma tua  
fugerat , imbellis : is, cum illo D e o tuo pu-  
gnans,merita morte cecidit. Idem ille te Devs  
tuus, veluti de sepulchro retraxit , & morti cri-  
puit. Idem ille hostium tuorum reliquias, ho-  
diè iratus persequitur. Expecta paululum , &  
illós in semetiplos ruentes videbis. Gaudet igit  
tur, Rex, Tua Deo salus curæ est. Asylū tuum  
& arx tua, Devs tuus. Is te hodiè liberationum  
suarum illustre exemplum constituit, in quod  
intucamur, quod sequamur omnes. Atque uti-  
nam tot hodie, aut nihil agentes aut malè agen-  
tes Principes , sequi malint exemplum tuum,  
quām aut malè agere , aut tempus inertii otio  
ludere. Sed illos sua manent. Tu vero perge.  
Perge indefessus, perge interrit⁹. Nos te sequi-  
musr, Tu Christū sequere. Illac in cœlum via est.

At tu, Auctor Christiani nominis, Iesv, ser-  
ua, protege, auge hunc Regem , gregis ducto-  
rem tui , & cum eo sanctum gregem tuum.  
Nos verò , populus tuus, & grex pascuorum  
tuorum, te celebrabimus in sæculum, & per o-  
mne ævum prædicabimus laudes tuas. Recole-  
mus Iudicia tuà à condito mundo , & nominis  
tuo dabimus gloriam. Amen.

### Psalm. 58.

Lætabitur iustus cum viderit Vltionem. Pedes suos in  
sanguine impij laurabit.  
Et dicet homo: Certè iustum manet suus fructus : cap-  
tæ est Devs iudicans in terra.

F I N I S,

